



IOANNES HAGEN (qui etiam de Indagine nominatur) ordinis Carthusiensis monachus in domo montis S. Saluatoris propè Erdfordiam factus est. Postea ob eruditionem & uitæ integritatem prior in Isenach & Stetyn creatus fuit. Erat is sacrarum literarum studiosissimus, atque in Iure Canonico peritissimus. Nam ob ingenij felicitatem & præptitudinem reliquos eius loci facile superabat, atq; ad obiectas quæstiones ex tempore optimè respondebat. Scripsit aperto sermone multa præclara uolumina, ad principes, episcopos, & alios ecclesiarū proceres, de uarijs & diuersis quæstionibus interrogatus. Testantur enim aliqui ipsum plus quam trecentos tractatus ædidiisse. Ut pote de laude paupertatis, de ornatu interiori, de Gratia & libero arbitrio, de Charitate, de Inquisitione summiboni, contra errores Bohemorum, de cognitione futurorum, de authoritate Papæ in Concilio, de iusto bello, de doctrina Ecclesiæ, de falsis prophetis, & de communione sub utraq; specie, cum multis alijs. Scripsit etiam in multos Bibliorū libros commentarios, atq; infinitarum quæstionum solutiones. Claruit sub Friderico tertio & Pio secundo, anno 1462. Trit.